Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ut leteris propter illos et ornamentum gratie
accipies coronam et dignitatem conse-
quaris congregationis. Loquere maior natu. de-
cet enim te primum verbum diligenti scientia.
et non impedias musicam. Ubi auditus
non est non effundas sermonem et im-
portune noli extolli in sapientia tua.
Gemmula carbunculi in ornamento
auri et comparatio musicorum in convivio vini.
Sicut in fabricatione auri signum est
smaragdi: sic numerus musicorum in
iocundo et moderato vino. Audi tacens
et pro reverentia accedet tibi bona gratia.
Adolescens loquere in tua causa vix.
Si bis interrogatus fueris habeat caput
responsum tuum. In multis esto quasi in-
scius et audi tacens simul et querens.
Et loqui in medio magnatorum non pre-
sumas. et ubi sunt senes non multum
loquaris. Ante grandinem preibit coru-
scatio et ante verecundiam preibit gratia.
et pro reverentia accedet tibi bona gratia.
Et hora surgendi te non trices. Pre-
curre autem prior in domum tuam et
illic avocare et illic lude et age con-
ceptiones tuas et non in delictis et in
verbo superbo. Et super his omnibus benedic
dominum qui fecit te et inebriavit te
ab omnibus bonis suis. Qui timet
dominum excipiet doctrinam eius et qui vi-
gilaverint ad illum invenient benedictionem
illius. Qui querit legem replebitur ab ea.
et qui insidiose agit scandalizabitur
in ea. Qui timent dominum invenient iu-
dicium iustum et iustitias quasi lumen
accendent. Peccator homo vitabit cor-
reptionem et secundum voluntatem suam
inveniet comparationem. Vir consilii
non disperdet intelligentiam alienus et
superbus non pertimescet timorem. Etiam
postquam fecit cum eo sine consilio et suis
insectationibus arguetur. Fili sine con-
silio nichil facias et post factum non
penitebis. In via ruine non eas et non
offendas in lapides. nec credas te
vie laboriose. Non ponas anime tu-
e scandalum et a filiis tuis cave et
a domesticis tuis attende. In omni
opere tuo crede ex fide anime tue. Hoc est
enim conservatio mandatorum. Qui cre-
dit deo attendit mandatis et qui con-
fidit in illo non minorabitur.
Timenti deum non XXXIII.
occurrent mala sed in tempta-
tione deus illum conservabit et
liberabit a malis. Sapiens non odit
mandata et iustitias et non illidetur
quasi in procella navis. Homo sensatus
credit legi dei et lex illi fidelis. Qui
interrogationem manifestat parabit
verbum et sic deprecatus exaudietur
et conservabit disciplinam et tunc respondebit.
Precordia fatui quasi rota carri
et quasi axis versatilis cogitatus illius.
Equus emissarius sic et amicus sub-
sannator sub omni supra se seden-
te hinnit. Quare dies diem superat
et iterum lux lucem et annus annum et
sol solem? A domini scientia separati sunt. Facto
sole et preceptum custodiente. patri sa-
pientiam dimiserunt et immutavit
tempora et dies festos ipsorum et in illis dies
festos celebraverunt ad horam. Ex ipsis
exaltavit et magnificavit deus et ex
ipsis posuit deus in numerum dierum
et annos. Et omnes homines de sole
et ex terra unde creatus est adam. In mul-
titudine discipline domini separavit
eos et immutavit vias eorum. Et ex ipsis
benedixit et exaltavit et ex ipsis sancti-
ficavit et ad se applicavit. Ex ipsis
maledixit et humiliavit et convertit
illos ad separationem ipsorum. Quasi lutum
figuli in manu ipsius plasmare illud
et disponere. Omnes vie eius secundum dis-
positionem eius. sic homo in manu
illius qui se fecit et reddet illis secundum
iudicium suum. Contra malum bonum est et
contra vitam mors. et sic contra virum
iustum peccator. et sic intuere in omnia